Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Hamelmann

# DE ANGELIS || CONCIONES || DVAE OLDEN=||BVRGI HABITAE || IN AVLA || IN QVARVM VNA || TRACTATVR DE NOMI=||nibus, natura affectu at#[que] officijs || S. Angelorum ex scriptu=||ris sacris.|| ALTERA || EXPLICATVR EVAN=||GELIVM QVOD IN DIE MI=||chaelis legitur ... ||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1575

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737553902**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0001

A – E.
A – B.
A – B. 12 ß.
A – F.
A – C.
A – C.
A – B.
A – C.
A – E.
A – B.
A – B.
A – B.
A – F.
A – H.
A – D.
A – C.
A – E.

Sm – 4303 1–17.
51a. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0002

10

DE ANGELIS

# CONCIONES DVÆ OLDENBVRGI HABITÆ IN AVLA

IN QVARVM VNA TRACTATVR DE NOMInibus, natura affectu atq; officijs S. Angelorum ex scripturis sacris.

ALTERA EXPLICATVR EVANGELIVM QVOD IN DIE MIchaelis legitur & ex historijs Ecclesiæ demonstratur quomodo semper suum retineant exerceantq; officium angeli in Ecclesia.

ROSTOCHII
IN OFFICINA IACOBI LVCII TRANSYLVANI.
ANNO M. D. LXXV.

10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737553902/phys_0005

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737553902/phys_0006

AMPLISSIMO, SAPIENTIA, DIGNITATE, DOCTRINA, VIRTVTE ET ELOquentia præstantiss. ac Clariss. viro D. Ioachimo Hinkio I. V. Doctori, & Metropolitanæ Ecclesiæ Bremensis Decano, Præposito in Osterholt & Brucken, Consiliario Regis Daniæ, Archiepiscopi Bremensis & aliorum principum, &c.

NEC NON

MAGNIFICIS AC EXIMIIS VIRIS, D. GIDEONI EGlingio I. V. Doctori & Archiepiscopi Bremensis Consiliario, ac Capituli ibidem Syndico, &c. atq; D. Roberto Haken L L. Licentiato & Comitum de Hoia Consiliario, &c. suis Dominis & patronis vnicè colendissimis.

AMPLISSIMI Reuerendi Clarissimi & præstan-

ſtantiſſimi viri Domini & patroni obſeruandi. Longa eſt inter doctos diſputatio de Angelis. Auguſtinus etſi alibi videatur eos loco aſtringere: tamen inquit illos & incircumſcriptos & circumſcriptos eſſe poſſe, Interim Eucherius ſuper lib. 3. Reg. ait, angelos Spiritali natura præditos, ita vt vbicunq; voluerint, ſtatim quaſi volando perueniant, ideo ſunt cum alis præfigurati, & quaſi cum alis ſunt oſtenſi prophetis. Deinde etſi Damaſcenus videatur illos quoque loco interdum aſtringere: tamen dicit interim ipſos non contineri portis, muris, clauſtris & ſignaculis, quia his ſunt indeterminabiles: Ariſtoteles ait incorporeas ſubſtantias eſſe extra cœlum abſque loco, tempore, & quæ non feneſcant nec mutentur, ideo non ſunt vt corpora phyſica,

*sica, quæ sunt in loco, quæ sunt in tempore. Sentit enim Aristoteles Sphæricum cœlum. Sic dissentiunt autores de angelis. Interim textus Euangelicus habet, quod semper in cœlis videant faciem æterni patris stantes coram Deo, & interim ministrent hic in terris hominibus vel etiam paruulis, vt hinc colligamus aut regnum Dei hic simul in terris esse, aut cum textus de cœlis dicat, si debeat distinctio locorum intelligi angelos simul vno momento in diuersis locis esse. Quomodo hoc fiat vt non intelligimus, sic quoq; non percipimus, quomodo nos, qui similes erimus in altera vita angelis Matth. 22. in resuscitatis corporibus, quæ spiritualia erunt. 1. Corinth. 15. Possimus & queamus in momento & ictu oculi transferri, & obuiam Christo rapi, vt simus*

*ex terris ilico in nubibus cum Christo. Sed hæc in altera vita plenius discemus: ideo manet hoc verum, quod Paulus ex Propheta dicit, Non in cor hominis ascendit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparauit diligentibus se, &c. Quia omnia ibi cœlestia, spiritualia, & non terrena erunt, vt rectè Hieronymus super Ezechielem dixerit: Liquidè confitemur post secundum domini Saluatoris aduentum nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia. Et grauiter scribit Eusebius lib. 3. suæ historiæ cap. 15. quomodo Christiani, qui erunt de stirpe Dauidis, rogati à Domitiano imperatore de Christi regno, & quodnam esset & quando, quoue in loco existeret, responderunt, illud non mundanum, non terrestre, sed cœleste & angeli-*

gelicum esse, quod in ipsa seculi consummatione declarandum foret, &c.

Miramur igitur Cinglij & Oecolampadij dementiam, qui in disputatione Bernensi dixerunt, non tam ad verbum & literas Bibliorum respiciendum, quam ad sensum, quem in corde Spiritus exprimeret. Martyr dixit vocem naturæ esse audiendam. Hinc factum est, vt varijs modis multa torserint dicta sacræ scripturæ, & varios eis sensus affinxerint. Sed tales & ipsorum discipuli, qui adhuc in viuis sunt, cogitent si Spiridion lib. I. Cap. II. historiæ Sozomeni, Triphillio docto & eloquenti Episcopo Ledrensi, cum is legeret lectionem ex Euangelio, Tolle Scimpodem, id est, lectum humilem, & vade, reprehendit, quod mutasset verba magistri sui (Christi) dicens: num-

quid melior es illo, qui dixit grabatum? numquid eius verbis te vti pudet? quantò magis cum nostris Sacramentarijs expostulandum erit, qui apertos Scripturæ textus, vt de efficacia Baptismi, de verbis cœnæ, de Christi transitu per sepulchrum & clausas ianuas, de corporis Christi exaltatione, vltra & supra omnes cœlos, vsque ad dexteram maiestatis Dei, imò vsque ad ipsam summam Trinitatem, aut planè negant, aut inuertunt, vel peregrinos sensus ipsis affingunt. Sed videant ipsi, Dominus non vult irrideri, & habet vindicem oculum. Leginus duo testimonia de duobus Arianis Episcopis apud Theodorum, in collectaneis Ecclesiæ, & Paulum Diaconum, quorum vnus nomine Deuterius cum formam verborum in institutione Baptismi inuer-

uerteret Constantinopoli baptizaturus Barbam, dissparuerit aqua allata: alter verò Olympius cum in Africa alibi corpus abluens, diceret quædam blasphema in S. Trinitatem mox igne consumptus est. Et tragicum habuere exitum Cherintus, Manes, Montanus, Arius, Nestorius & alij. Sed Dominus nostros aduersarios conuertat.

Ego verò cum ex scriptis D. Lutheri, ex Syntagmate D. VVigandi & M. Iudicis, Locis Musculi, Methodo D. Simonis Pauli, & institutionibus D. Selnecceri pauca de angelis collegissem, & illa præterito anno pro concione recitassem, & ipsam materiã hoc quoq; anno, in Aula inclytorum, Illustrium & Generosissimorum Heroum ac dominorum, D. Iohannis ac D. Anthonij,

Comitum in Oldenburg & Delmenhorst, &c. Dominorum meorum clementiss. & in ipsorum Cels. præsentia atque auditoribus ibidem Nobili, fortissimo & egregio Satrapa hîc ditionali, D. Borchardo à Steinberge, & ornatissimo ac eximio M. Henrico Tilingio, Consiliarys prædictorum nostrorum Heroum atq; alijs nobilibus & præstantibus viris repetijssem, & testimonijs historiarum Ecclesiasticarum comprobassem, optauit aliquando Clariss. & Consultissimus. I.V. Doctor, & prænominatorum excellentium Comitum Cancellarius grauiss. & digniss. Dominus Iohannes ab Halle, vir humaniss. & patronus noster, vt ei licuisset nostris concionibus interesse. Hinc occasionem sumpsi eas describendi & emittendi in lucem, vt

si non

*si non multis, saltem paucis possent prodesse. Et profectò magna est gratia Dei, quod nos mirabiliter defendat, protegat, & ex malis eripiat filius Dei, noster Emanuel, Dominus & frater noster, semper nos muniat, & adsit nobis cum suis angelis: quia non deserit Ecclesiam & suos. Hinc extat memorabile exemplum in historia Ecclesiastica Theodoreti lib. 3. cap. 13. de quodam adolescente, filio idolatrici Sacerdotis, sub Iuliano, qui cum edoctus esset à Christiana quadam fœmina, præcipuas partes Catechismi, tandem recurrit, ad illam fœminam, quæ eum in ædibus Meletij clam abdidit, sed pater pro sua authoritate, qua valuit apud Iulianum Imperatorem, cepit cum multis adolescentem quærere, & Daphnem perlustrare vndiq, circuire*

cuire plateas, & in omnes locos ac partes oculos circumferre, donec veniret ad ædes Meletij, vbi vidit eum ex tabulato despicientem. Hinc mox accurrens ad eum, ipsum inde detraxit & abduxit, eiq; domum reducto multa inflixit verbera, deinde verucula candentia in manibus, pedibus & dorso impegit, & vinctum in cubiculo foris obserato concluſit, inter sua simulachra. Sed adolescens numine accensus, confregit simulachra. Interim cum aduentum patris pertimesceret, orauit serio ad Christum, vt ei ferret auxilium, & seras perrumperet, & ostia patefaceret. Nam tua causa, ait, ô Christe hæc & perpessus sum & admisi. Quæ cum dixisset, excidisse seras & ostia aperta esse, & ipsum aufugisse, & tandem ad Cyrillum Hie-

rosoly-

*Hierosolymitanum Episcopum venisse scribit historicus, &c. Imò filius tandem mortuo Iuliano conuertit patrem & hæc senex Theodoreto retulit. Sine omni dubio ibi mox angeli fuere, seras aperientes & ostia patefacientes. Ideo Christus adest suis cum sanctis angelis.*

*Volui autem V. A. M. & ex, inscribere has meas qualescunq; conciones, primo quod sciam easdem varijs negocijs, magnorum Heroum, consilijs & curis implicari, deinde grauibus legationibus & profectionibus occupari & grauari, & ita distractionibus multis implicari, & periculosis itineribus committi, vt quotidie opus habeant protectione filij Dei nostri Michaelis, & suorum angelorum, & defensione in vijs vestris. Secundo decuit me gratitudi-*

titudinem aliquam pro vestris in me collatis beneficijs, hac mea dedicatione demonstrare, & testari meam erga vos obseruantiam. Tertio cum multa lectione, vsu rerum, experientia, consilijs, grauibus deliberationibus, eloquio, doctrina, & scientia eisq; donis multum valeant V. A. M. & Excell. vo- lui eas rogare vt dignentur Angeli- cam (quum angeli nos mille modis su- perent in omnibus donis & bonis) hu- militatem, charitatem & beneuolen- tiam, vt facitis, sequi, atq; in tanta emi- nentia positi, vnum hoc cogitare non grauentur, quomodo gloria Dei pri- mum quæratur & propagetur, deinde qua etiam ratione proximi iuuentur & promoueantur. Deniq; vt ab officio Angelorum vobis vltro currentibus calcar addam, vt pro vestra pietate,

veram

veram in aulis doctrinam passim promouere & tueri velint V. A. M. & Ex. & eius atq; omnium rectè docentium patrocinium suscipere, tum quoq; conatus Schwermerorum & phanaticorum hominum nepharios reprimere. Quod si hoc feceritis, vt omnino mihi de vobis polliceor, futurum quoq; erit, vt vos tantò diligentius in suum defensionale subsidium amplectantur angeli Dei, & in omnibus difficultatibus adsint vobis, manusq; auxiliares offerant. Postremò volui vobis anni noui felicem ingressum precari. Filio Dei V. A. M. & Ex. commendo meis precibus, quas vobis offero, ex Oldenburgo, Calendis Ianuarij, quando antè annos mille quingentos & septuaginta quinq; natus homo filius Dei Christus

Iesus

*Iesus, in die circumcisionis suæ, in gratiam nostri primò effudit sanguinem, vt nos mundaret à peccatis.*

*V. A. M. & Ex. obseruantiß.*

*Hermannus Hamelmannus*

*S. Th. Licent.*

DE

# DE ANGELIS CONCIO PRIMA

## HABITA IN ARCE OLDENBVRGICA ANNO DOMINI 1573.

DOCTI ex Augustini commentarijs super Psal. 104. ostendunt Angelum ab officio dici: natura quidem angelos esse spiritus, officio angelos id est nuncios: Esse autem angelos creaturas à Deo factas testatur Psal. 148. dicens, Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, laudate eum Sol & luna, Laudate eum omnes stellæ & lumen, Laudate eum cœli cœlorum & aquæ quæ supra cœlos sunt, Laudent nomen Domini, quia ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, &c. Illa postrema

particula cum rationem reddit, cur Dominum debeant laudare ea quæ recensuit, propterea videlicet quod ab ipso creata sint & facta, satis declarat angelos esse creatos & factos. Et Psal. 104. Qui facit angelos suos spiritus. Et omnia ait Ioannes 1. cap. Per Christum facta esse. Et prædicti Psalmi lectio repetitur Hebræorum 1. cap. Et Paulus ait per Christum omnia esse creata quæ in cœlo & in terra sunt Coloss. 1. Imò visibilia & inuisibilia. Item cap. 19. & cap. 22. Apocalypsis vetat se adorari angelus: nam ait se Ioanni conseruum esse. Ergo indicat se creaturam esse. Audiuimus autem angeli vocem esse officij non naturæ, quia id nomen Angeli, interdum Deo, interdum hominibus tribuitur. Deo Genesis 31. 48. Exodi 14. Numeri 22. Iudicum 6. sic Messiæ tribuitur Malachiæ 3. Hominibus verò Malachiæ 2. & 3. 3. Esdræ 1. 4. Esdræ 1. Iob. 33. Apocalypsis 2. & 3. ministri Ecclesiarum dicuntur angeli. Verum maiore ex parte propter officium vocantur spirituales substantiæ, angeli: Et licet Dæmones

mones quoq; interdum angeli vocentur, vt Matth.25. 1.Cor.6. 2.Petri 2. 2.Cor.12. tamen potißimum bonis ſpiritibus tribuitur appellatio Angeli. Diximus ſpiritus eſſe & igneas flammas vt ait Pſalmus 104. Qui facis angelos tuos ſpiritus & miniſtros tuos flammam ignis: Sic angelus in columna ignis & nubis apparet angelus Domini, Exod.14. Et in curribus ignis Eliſæo & eius famulo, 2.Reg.6. Luc.24. Angeli duo apparent in fulgurante veſte, item Matthæi 28. Aſpectus eius erat vt fulgur, ideo Seraphim, id eſt, Ardentes nominantur: & currus igneus & equi ignei aderant & aſcendit Elias per turbinem in cœlum. 2.Reg.2.

Sed cum audierimus angelos eſſe ſpirituales ſubſtantias, non corporeas, viſibiles, contrectabiles aut ſenſibus expoſitas, quæ non habent carnem & oſſa, & tanquam flammas ignis, id eſt, tam mobiles, ſubtiles (vt velut flammæ appareant & leuitate ſua aërem tranſcendant, ſintq; ſubtiles, agiles, celeres) eximia agendi po-

*ræstate prædita nihil crassitudinis, nihil impedimenti in se habentes & in morem ignis esse puras, lucidas, splẽdidas, ideo indolem quandam igneam præ se ferunt: deniq; hodie celebremus festum angelorum, vt aliquid de officio, natura, & nominibus Angelorum dicendum sit, quo nomine in hodierno Euangelio dicitur, Et angeli eorũ semper vident faciẽ patris qui in cælis est, &c. Statuimus per gratiã Christi primò breuiter dicere de Nominibus angelorum, secundo natura, affectu & voluntate eorum, tertiò de officio.*

## DE NOMINIBVS EORVM.

*ANgeli dicuntur officio, quod legati & nuncij sint Dei, ideo plerumq;, quod eorum opera vtatur Deus in legationibus, in exequendis suis mandatis, in conseruatione, custodia & defensione piorum atque ad perdendos impios plerumq;. Dicuntur Angeli Domini in sacris literis, Iudicum*

2. & 6. atq; 13. 2. Reg. 1. 2. Reg. 19. Psal. 34. Zachariæ 1. Actorum 5. 8. 12. Item angeli Dei interdum nominantur, vt Geneſis 21. 28. 32. 2. Samuelis 4. Actorum 10. 27. Item angeli ſancti. Tobiæ 3. Miſſus eſt ſanctus angelus, Luce 9. Actorum 10. Admonitus ab Angelo ſancto: Dicuntur angeli ſui vt Pſal. 91. Actorum 12. Miſit Deus Angelum ſuum. Item, Angeli dicuntur electi. 1. Corinth. 5. Item, Angeli lucis, 2. Corinth. 11. Item, Angeli potentiæ ſuæ, 2. Theſſalo. 1. Et hæc epitheta ſunt diligenter expendenda & conſideranda: Sic Vigiles & ſancti ſimul vocantur Danielis 4. Ecce vigil & ſanctus deſcendit de cœlo: Dicuntur etiam Iob 1. & 38. filij Dei, interim diximus creaturas eſſe, etſi appellantur filij Dei, quia propterea non æquantur vnigenito filio Dei Chriſto, quod in epiſtola ad Hebræos plurimis argumentis probatur cap. 1. Vnus eſt filius Dei naturalis, angeli verò & electi homines ſic commendantur propter gratuitam adoptionem. Ideo dicimus illos eſſe creatos & non genitos: Nam

dicitur Hebræorum 1. Cui angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te? & multa alia ibidem leguntur. Item, Iob. 38. dicuntur astra matutina sine dubio propter agilitatem & vigilias.

Angeli quoq; dicuntur Cherubin & Seraphim, de Cherubin Genes. 3. Exod. 25. Ezechielis 11. Seraphim, Esaiæ 6. Cherub videtur significare faciem floridam, quæ est in puellis & iuuenibus in prima ætate, sicut etiam pinguntur angeli similes infantibus vt Cherubin intelligas angelos qui apparent facie non rugosa, non tristi, sed læta & exporrecta fronte, facie plena & pingui. Cherub est nomen generale, & Hebræi dicunt id planè significare quod sint quasi florentes facie, læti & iucundi.

Seraphim ab igne seu ardore propter qualitatem formæ, sicut ostendit locus Numeri 21. Immisit Deus in populum serpentes Seraphim, hoc est, vrentes vel ignitos, vt intelligamus Seraphim angelos non solum formosa facie sicut Cherubin, sed etiam

etiam fulgentes, sicut in Euangelio pinguntur ad sepulchrum Domini sedisse. Erat eius forma sicut fulgur Matthæi 28. Et cum Angelus venit ad Pastores circumfulsit eos claritas Domini: Ita & Stephani facies visa est rutilans, als ein blühen vnd glühen angesicht.

Gabriel archangelus, id est, fortitudo Dei, Danielis 8. 9. Lucæ 1.

Michael Danielis 10. & in hodierna Epistola Apocalyp. 12. Quis sicut Deus: apparet ex 12. Danielis & epistola hodierna illum esse ipsum filium Dei, principem magnum pugnantem pro Ecclesia sua, & pro populo suo. Iam Angelus creatura non habet Ecclesiam & populum, Raphael, Medicus Dei Tobiæ 3. qui missus vt curaret ambas. Vriel, lux Dei 4. Esdræ 4. & 9. Angelus. Ieremiel, Misericordia Dei 4. Esdræ 4. Angelus.

Atq; hæc nomina eò tendunt vt potentiam, φιλανθρωπιαν (quia figura amici & suauis hominis pinguntur) fulgorem, agilitatem, suauitatem, humanitatem, misericor-

sericordiam angelorum denotent. Sunt autem, vt diximus celeres, qui vt fulgur vno ferè momento penetrat & percurrit immensum spacium aeris & terræ, ita omnes motus, locos & spacia ilico & subitò spiritus vel angeli sua subtilitate & leuitate penetrant: Quare rectè incorporei, & locum non occupantes dicuntur, passionibus corporeis non obnoxij: ideo affiguntur eis alæ (quia super arcam fœderis alas iunxerunt) propter celeritatem motus. Ideo Lutherus grauiter respondit Cinglio obijcienti vbiquitatem corporis in creaturis, & ex ea sequuturam infinitatem & immensitatem corporis asserenti: imò credis omne corpus contineri loco, quo ergo loco continetur cœlum & terra, corpora tam magna? Mundus quidem non est infinitus & immensus etsi nullo loco comprehendatur: Deus tantum infinitus non autem mundus: ideo vbiquitatem corporis quoq; non ita in Christo extendimus tanquam crassum quid per comprehensibilem modum, cum sciamus varios esse modos, quibus possit aliquid in

locis

*locis conseruari: Sed sicut Angelus omnia subitò penetrat (licet sit creatura) exemptus est loco, & simul est in cœlo & in terra vt hodiernũ Euangelium indicat, quia hic in terris seruiunt nobis angeli & tamen semper vident faciem patris qui est in cœlis: at interim angeli non sunt immensi & infiniti vt Deus, sed vt sunt spirituales omnia penetrantes, sic Archangelus clausis ianuis intrauit ad Mariam teste Bernhardo, sic ad Petrum clausis ianuis ingressus est in carcerem, & postea cum iam staret in carcere, aperuit carcerem & ianuas, (Actorum 12.) Angelus Domini: Interim certum est quod sit excellentius & maius, esse in Deo vel vnam esse cum Deo personam, quam esse in cœlo? quia Deus altior & excellentior est omnibus cœlis. Cum igitur nostra corpora sint futura spiritualia 1. Corinth. 15. & nos in vita æterna similes debeamus esse angelis, Matthæi 22. igitur longè alia erit ratio nostrorum corporum, atq; à quoquam percipi possit. Quid igitur de Christi corpore statuendum? Ideo ve-*

hementer errant Beza & alij qui in eas redigunt angustias Christum, vt etiam tantopere ad locum stringant Christi humanitatem & corpus, vt non solum extra Trinitatem statuant, sed etiam non hominem in λόγῳ vel Christo adorandū vel simul cum Deo hominem inuocandum censeant. Sed Epiphanius in Amorato, sic ait, vtrum adorabis saluatorem in corpore, an non adorabis. Quid ni adorem? Si enim non adoraueró, vitam non habebo. Ergo creaturam adoras, corpus videlicet? Ingens est vecordia illorum, qui talia dicunt. Nemo dixerit vnigenito, dimitte corpus vt te adorem, sed adorat vnà cum corpore vnigenitum, increatum seu increabilem cum templo sancto, quod aduenies accepit. Et Maxentius scribit contra Nestorianos. Etsi natura humana est & manet ὁμοούσιος nobis sine peccato, tamen habet gloriam superantem omnium creaturarum potentiam, maiestatem & gloriam, hoc est, habet gloriam, potentiam & maiestatem diuinam, id est, infinitam, viuificam & adorandam in perso-

*persona τῷ λόγῳ, cui vnita est hypostaticè & inseparabiliter. Nam media maiestas & gloria ac potentia inter Dei potentiam & creaturarum potentiam siue angelorum & hominum gloriam nulla est, nisi Quaterniſtarum deliria probare velimus, Et quodcunq; omnipotentiæ laudem non habet adorandum non est & viuificum esse nequit, &c. Item alibi ex Athanasio ostendit corpus vel humanam naturam in Christo esse infinitæ potentiæ & habet gloriam diuinam clarificata in Christo, &c. Et rectè quia Christus ratione humanitatis dixit, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Sed hæc hactenus. Interim de statu & conditione angelorum loquentes hæc immiscere voluimus vt non aliena à proposito. Nunc tendimus ad secundum locum.*

## DE NATVRA, AFFECTV ET VOLVNTATE angelorum.

Quo-

QVoniam sæpè se conspicuos hominibus exhibuerunt ideo non tenebrosi, non obscuri, non nigri, sed albi & lucidi, virorum & iuuenum specie, sub forma eleganti & excellenti apparuerunt angeli: Virorum nomine Genes. 19. Iudicum 13. Luc. 24. Act. 1. & 10. apparuerunt. Ornatu autem pulchro, Danielis 10. Ecce vir vnus vestitus lineis & renes eius accincti auro obrizo & corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius veluti species fulgoris, & oculi eius, vt lampas ardens, &c. Sic Matth. 28. & Lucæ 24. Vir apparuit in veste & facie fulgurante. Marci 16. Circa monumentum viderunt Iuuenem sedentem à dextris coopertum stola candida, mulierculæ. Ioannis 20. Vidit duos Angelos in albis sedentes: Et viri post ascensionem Christi apparentes Apostolis erant amicti stolis albis: Et sine dubio parentibus Simsonis visus est amicabili visu, cum ab eis diceretur vir Dei, nec aliter sunt visi ab Abraham & Loth, cum tàm honestè eos exciperent, nec quidem aliter apparuerunt Zachariæ & Mariæ,

Mariæ, quam virili vel iuuenili specie, sed interim tàm amicabili & eo ornatu, vt statim agnoscerent legatos & angelos Dei esse. Quod igitur reipsa sunt, hoc habitu, ornatu & specie præfigurari voluerunt: Natura angelorum est humilis, suauis & benigna, quia non dedignantur seruire peccatoribus miserrimis, viris ac fœminis, quia lucent ardenti sapientia diuinæ bonitatis, quicquid iubet Deus, id eximium & optimum esse intelligunt, quia placet Deo: sunt misericordes, boni, humani & ad omnia obsequia prompti semper vigiles, semper custodes, semper inseruientes & sua officia diligenter, alacriter, non segniter, non desidiosè, sed cum gaudio & voluptate exequentes: omniaq; prompte & in vera humilitate & summa delectione exercentes & perficientes. Nos qui nihil aliud quam puluis, lutum, putredo & vermes sumus, si qui antecellunt alios donis eloquentiæ, sapientiæ, ingenij, opum vel fortunæ, deus bone quanto fastu super eos qui hisce carent se efferunt, quibus tamen pa-

res

ves sunt peccatis & calamitatibus: Interim præstantissimæ Naturæ & hi spiritus aërij & cœlestes angeli Dei deinde castissimi, iustissimi, potentes, syncerissimi & excellentes angeli Domini tàm sunt humani, humiles & benigni, vt etiam minimis inseruire non dedignentur peccatoribus. Sic Angelus Domini præmittitur ante seruum Abrahæ, vt cum Rebecca coniugij initia faciat, quia Abraham ait Genes. 24. Angelus Domini sit tecum vel erit tecum: id est, sum certus affuturum tibi angelum Domini vt sit paranymphus, & agat præparetq; omnia apud parentes & virginem, & sic etiam in sexu fragili: Sic & eatenus mittitur ad Mariam virginem humilem, abiectam & contemptam puellam Gabriel Archangelus stans ante Deum & longè superior Maria. Ideo maximum donum Dei est, nos frui consuetudine, custodia & amicitia angelorum. Agamus igitur Deo gratias pro tali dono, & imitemur istorum virtutes & officia charitatis ac beneuolentiæ mutuæ. Nemo hominum

tàm

tàm est benignus & ad omnia obsequia & beneficentiam paratus vel ad exiguum tempus, vt semper sunt angeli: qui sunt nobis fidelissimi, optimi & constantissimi amici, comites, licet sint inuisibiles, & quidem fide, obsequio, beneuolentia & omnibus aliys officijs longè superant visibiles amicos: Superant sanè longo interuallo angeli omnes homines cum sint spiritus & ignes, ideo etiam scriptura dicit Christum in statu exinanitionis vel humilitatis ratione humanitatis paulo angelis minorem fuisse Itaq; tanta est angelorum dignitas, eminentia & prærogatiua vt nec verbis vllis appositè satis explanari queat: interim in tanta præeminentia sunt humiles, obsequiosi, prompti, beneuoli: ideo à tali præeminentia & bonitate angelorum hæc consuetudo manauit vt quando scriptores sacri, volunt alicuius excellentiam & bonitatem commendare, cum angelis conferre eam soleant. Hinc illæ locutiones 1. Samuelis 29. Dixit Achis rex Chad ad Dauidem, Scio quod bonus es & es in oculis meis quasi

Ange-

Angelus Dei, 2. Sam. 14. Mulier Thecoitis ad Dauidem, Erit nunc verbum Domini mei regis in consolationem quoniam sicut Angelus Domini sic est dominus meus rex, vt audiat bonum & malum, ibidem cap. 19. Mephiboseth dominus meus rex, inquit, est quasi Angelus Dei, fac igitur quod bonum est in oculis tuis. Vbi esse sicut angelum, vsurpatur pro eo quod est esse optimum, benigniss. placidiss. facillimum, promptiss. & præstantissimum, & multis donis instructum, quasi ita describatur bonitas angelorum, quam debeant Principes imitari, & si hoc faciant, vt tunc non aliter habeantur & suscipiantur atq; angeli Domini. Ita ait Paulus Gala. 4. quod ipsum vt angelum Domini susceperint, imò veluti ipsum Christum: et 1. Corinth. 13. dicitur loqui angelorum linguis, id est, suauitate & singulari eloquentia. Sic videbant Stephani faciem vt faciem angeli Actor. 6. id est, serenam placidam & amicam.

Iam cogitemus quot & quantos aduersarios habeamus, et cur diaboli dicãtur nostri aduersarij, cur Sathanas cur inimicus, cur

Dæmon,

Dæmon, cur leo rugiens, cur serpens antiquus, cur Draco rursus, cur aspis, cur basiliscus, cur malus, cur Abaddon, cur Asmodæus, cur Beelzebub, cur Leuiethan, cur Behemuth, cur diabolus, cur homicida, intituletur ille noster hostis qui tot socijs, tot collegis, tot cooperatoribus malis sibi similibus contra nos furit sæuiendo, destruendo, calumniando, tumultuando, ferociendo, vt vix per horam perstare possemus, quin nos perderet & nostra omnia in nihilum redigeret, nisi custodia angelorum & ipsorum præsidio cingeremur vt Psal. 34. dicit, qnia nisi tali cinctura essemus muniti, quid nobis metuendum esset, historia Iobis docet: ideo tacitas super nos pro sua bonitate vigilias ducunt angeli, & non aliter, atque taciè diaboli præoccupant animos hominum, & vt meditantur quò nos ad pernitiem & interitum ruentes trahant sic illi ad omnia bona & iusta nos trahunt exequenda: Interim plures sunt angeli quàm dæmones, qui nos custodiunt vt in Psal. 91. legitur, Angelis suis mandauit de te, vt

custodiant te in omnibus vijs tuis. Plures angelos vidit in Scala ascendentes et descendentes Iacob, Genes. 28. Et turma Dei, hoc est, angeli Dei occurrunt ei, Et 2 Reg. 6. Plures ignei currus sunt circa Helisæum, id est, angeli, quam diaboli cum aduersarijs. Danielis 7. Millia millium ministrant ei. Et Christus dixit se posse orare Patrem, vt 12. legiones angelorum mitteret. Et Lucæ 2. Vni angelo adsunt reliqui numero multi canentes Deo. Vt Hebræorum 12. Apocalyps. 5. & in epistola Iudæ videmus: Item sunt potentes ex eo, ante cuius faciem semper stant, & angeli potentiæ dicuntur. 2. Thessal. 1. & sunt robore & fortitudine præditi, 2. Pet. 2.

Obambulat circa nos vt leo rugiens Sathan cum suis, ideo spiritus aëris vel principes aëris dicuntur, vt volitent tanquam muscæ, cornices, passeres circum nos & si ipsis permitteretur nunquam quicquam segetis produceret terra, nunquam animalium aliquod supereesset & nisi custodia angelorum muniremur, qui numero plu-

res

res & potentia fortiores sunt diabolis, nullus nostrum viueret, nulla politia, nulla Ecclesia, nulla domus, nulla familia superesset. Et plus nobis tamen accedit boni quàm mali: illud est angelis imputandum: Si interdum aliquid aduersi contingit, id fit ex permissione diuina, aut vt paternè nos corrigat, aut vt probet & tentet nos. Etsi quoque Deus posset nos absq; præsidio angelorum tueri, quia si Deus pro nobis, (Rom. 8.) quis contra nos? tamen vt omnia alia media ordinauit, ita & hæc: posset nos vt Adam ex limo formare, dedit interim patrem & matrem: posset Man nobis quoque dare, sed iam per labores & media vult à nobis acquiri victum: Posset lucem absque sole & luna dare, at interim ista media ordinauit: Ideo cum sumus certi de custodia sanctorum angelorum, cœlestium Spirituum atq; Principum eminentium, quod sint nostri defensores, curatores & ministri vbicunq; fuerimus, agamus pro tali beneficio gratias, & iam tendamus ad tertium locum, in quo audiemus omne sanctorum

*angelorum officium & exemplis declarabimus quæ nobis obsequia præstent, &c.*

## DE OFFICIO ANGELORVM.

*Dvplex est officium eorum, primum quod præstent Deo, secundum quod præstent homini.*

*Officia quæ Deo præstant sunt immediatè hæc sequentia.*

*1. Stant antè faciem Dei, & ministrant & inseruiunt Ezechiel. 10. Cherubin stabant à dextris domus, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini & sonitus alarum Cherubin audiebatur vsq; ad atrium exterius quasi Domini omnipotentis loquentis, &c. Danielis 7. Millia millium ministrabant ei & decies centena millia assistebant ei. Zachariæ 12. Sicut Angelus Domini in conspectu eius: Tobiæ 12. Ego sum Raphael Angelus Domini vnus ex septem qui stamus antè Deum, Lucæ 1. Ego sum Gabriel qui asto antè Deum, hoc est, vt*

vt explicatur in hodierno Euangelio vident semper faciem æterni patris, D.N.I.C. qui in cœlis est: Quid autẽ aliud stare sit & illa seruitus, plenius discemus in altera vita: alioqui veluti hic serui stant antè Dominos, vt se promptos ad obsequia & mandata Domini exequenda præbeant & sistant, sic aliqua ex parte & ibi fit. Hinc dicuntur angeli, legati & nuncij Dei.

2. Quod Deus eos mittat ad pios vt bona & salutaria eis proponant, aut eos defendant & consolentur sic ad parentes Simpsonis Danielem, ad Zachariam, Mariam, Cornelium, Iohannem, mittuntur angeli: mittuntur impijs vel ad impios vt eos puniãt, vt in Sodomitis in Sennacharib, in Herode & alijs videre licet, de quibus postea dicemus.

3. Celebrant & laudant Deum, vt Psal. 103. Benedicite Domino omnes angeli eius, et Psal. 148. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius. Esaiæ 6. Clamabant Seraphin alter ad alterum & dicebant, Sanctus Dominus,

Sanctus sanctus Deus exercituum, plena est terra gloria eius, Lucæ 2. Canunt gloriam Deo.

4. Ministrant, et Christum adorant et celebrant, Matth. 4. Superato diabolo accedunt angeli et ministrant ei, et huc potest spectare, quod dicitur Ioan. 1. Amen dico vobis posthac videbitis cœlum apertum et angelos Dei ascendentes et descendes super filium hominis, Epistola ad Hebr. 1. ex Psal. 96. Adorent eum omnes angeli eius: Apoc. Vidi et audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, dicentium voce magna, Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & diuitias et sapientiam: et angeli sunt Christo subiecti Hebr. 2. 1. Pet. 3. dicuntur ei subiecti angeli potestates ac virtutes.

Hactenus diximus quæ officia et obsequia præstent Deo: nunc quomodo ex mandato, voluntate & præcepto diuino prompti inseruiant hominibus, dicendum erit.

1. Consolationes mandatumq; Dei commu-

communicant hominibus vt Abraham Geneſ. 21. Item Agar Gene. 21. conſolatur: & iterum Abraham Geneſ. 23. Tobias ab angelo reficitur Tobiæ 12. Zachariæ 1. Reſpondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, & conſolatoria, &c. Sic Gabriel Danielis 9. eum erigit & conſolatur: Conſolatur eodem modo Zachariam, Mariam & alius Angelus paſtores, ne timeant, Luc. 1. et 2. Chriſtum luctantem cum morte in agone confortat Angelus, Lucæ 22. Sic adeſt Paulo angelus & eum conſolatur ne timeat Act. 27.

2. Inſtruunt & informant homines etiam in periculo vel difficili tempore, Sic ad Heliam venit Angelus 2. Reg. 1. cap. bis & eum inſtruit quomodo impio regi obuiandum: Angelus inſtruxit Ioſeph ne deſereret Mariam, Matth. 1. Item, Magos ne redeant ad Herodem Matth. 2. Item inſtruit Cornelium quid facere debeant, Actor. 10. Sic quoq; Abrahamo voluntatem Dei Geneſ. 21. et 23. ſignificant, vt & Agar Geneſ. 22.

3. Res futuras prædicunt, sic prophetiam Abrahæ factam exponit Angelus Domini, Genes. 16. & prædicunt de delenda Sodoma Genes. 19. et 22. indicat Agar quid futurum cum suo filio: item Danielis 4. 8. 9. Zachariæ 1. 2. 4. 5. 6. Item, 4. Esdræ 4. Futura angeli prædicunt, mysteria explicant & prophetias declarant. Prædicunt Ioseph quid gestet in utero Maria, et qualis sit eorum fructus futurus. Matth. 1. et 2. cap. Prædicunt futurum periculum suadentes fugam, ut quoq; Magos præmonent, &c.

Angelus Paulo prædicit quid illi accidet Actor. 27. Et Angelus explicuit Ioanni visionem & alia multa in Apocalypsi, reuelans ei res in Ecclesia ad finem mundi futuras. Et ostendit Stephanus, Acto. 7. quod Deus usus sit in patefactionibus ministerio angelorum, &c.

4. Annunciant hominibus lætum nuncium, ut parentibus Simsonis (veluti antea Abrahæ, & Agar, ut dictum est) Iudicum 13. Lucæ 1. Zachariæ, Mariæ & Lucæ 2. Beethlehiticis pastoribus adfert lætum nunci-

*nuncium & gaudium magnum: item resuscitato Christo angeli sunt annunciatores istius euangelij de Resurrectione Christi, Matthei 28. Marci 16. Lucæ 24. Ioannis 20. et post ascensionem Christi instruunt Apostolos, Actor. 1. de reditu Christi ipsis ad consolationem, & ipsi deducunt homines pios ad annunciandum Euangelium hominibus exteris: Sic Philippus excitatur vt ducatur ad Eunuchum præfectum Candaces, quò conuertatur, Actorum 8. et Cornelio consulit vt Petrum accersat, Actorum 10.*

*5. Offerunt piorum preces coram Deo, Tob. 12. Ego obtuli, ait Raphael, orationem tuam Domino.*

*6. Castigant & admonent errantes, vt Genes. 16. Suadet & præcipit Angulus Agar vt redeat ad Dominam suam et ei subsit, & impedit progressum Asinæ Balaam, vt sic tandem corrigatur, Numeri 22.*

*6. Sanant morbidos vt Tobiæ 11. et Ioannis 5. Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam & mouebatur*

tur aqua, et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quocunq; morbo detineretur.

7. Curant et cibant esurientes, vel sitientes reficiunt sic ad vocem et instructionem angeli cognoscit & videt fontem aquarũ Agar, vt siti oppressus filius Ismahel reficeretur, Gene. 21. Etiam ex mœrore dormientem sub arbore excitauit tangens eum, et dixit surge & comede, quia ei panem et aquam præparauerat. 1. Reg. 19. Et in additione Danielis cap. 14. legitur, quod Angelus Domini dixerit ad Habacuc allaturum messoribus pultem, fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum, Et dixit Habacuc Domine Babylonem non vidi, nec lacum scio: et apprehendit Angelus Domini in vertice eius ipsum et portauit ipsum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui: & clamauit Habacuc dicens, Daniel serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus: & ait Daniel, Recordatus es mei Deus et non

*non dereliquisti diligentes te : Surgens q; Daniel comedit : porrò Angelus Domini restituit Habacuck confestim in loco suo.*

*8. Castrametantur in circuitu timentium eum, sic domum Loth custodiunt ne à ciuibus seditiosis opprimatur Genes. 19. Sic Elisæum, 2. Regum 6. castris suis munierunt ne ei hostes nocerent: & vtrobique cœcitate petulantiores percussi sunt: Sic circumuallauit Hierusalem et percussit eius hostem Angelus Domini 2. Reg. 19. 2. Paral. 32. Esaiæ 37. Et Danielis 10. et præcipuè 12. cap. ostendit se Princeps magnus Michael, qui pugnabit pro populo suo, &c. Psal. 34. Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.*

*Sic Iosuæ 5. viait aliquem (angelum) gestantem gladium, qui ei dixit se esse Principem exercitus Domini: Sic turma angelorum cinxit Iacob patriarcham: Sic Iosephum & Mariam fugientes cinxit præsidio, veluti eos ad fugam monuit: Sic Magi abeuntes ad Herodem præmuniuit*

*ne*

ne quicquam ab illo mali ipsis accideret: Et Sathan ait ad Dominum, de Iob, Tu circumuallasti eum.

9. Sunt comites & defensores itineris, vt de Iacob, de Maria & Ioseph & Magis dictum est. Abraham ait ad famulum, Dominus emittit angelum suum coram te. Genesis 24. Exod. 33. Angelus meus praecedet te, Item, 23. Exod. Mitto ante te angelum meum, vt custodiat te in vijs tuis: Et Angelus Domini eduxit populum ex Aegypto per Mare rubrum. Exod. 14. Tobiæ 5. Credo quod Angelus Domini Dei bonus comitetur eum & benè disponat omnia quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos: Item Tobiæ 10. Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro perducatq; vos incolumes vt inueniatis omnia rectè circa parentes vestros, etc. Angeli in ignito curru transferunt in cœlum Heliam: Baruch 6. Angelus meus vobiscum est. Angelus adducit Habacuck ad Daniel, Philippum ad Eunuchum in itinere curru proficiscentem.

10. Custo-

10. Custodiunt quoslibet in vocatione sua, ne illis malum accidat, vel impingant ad lapidem vel ex lapsu, crura, collum, & alia membra frangant quia vbi cessat cura angelorum, ibi omne malum excitant diaboli, vt historia Iobis ostendit, deinde Psal. 91. ait, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis manibus portabunt te, ne impingas ad lapidem pedem tuum. Iacob dicit angelum Domini eripuisse ipsum ex omni malo, Geneſis 48. Sic Loth custodiunt, sic defendunt Elisæum. 2. Reg. 6.

11. In periculo positos defendunt & eripiunt, Loth educunt cum suis ex Sodoma, ne ibi pereat cum impijs: Danielis 3. Angelus Domini descendit cum Azaria et socijs eius in fornacem & excussit flammã ignis de fornace & ferit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis neq; contristauit nec quicquam molestiæ intulit. Et Daniel ait cap. 6. in spelunca leonum, Deus meus huc misit angelum suum, qui obstruxit ora leonum

ne

ne quicquam mali mihi inferrent: Inter bellica signa & tumultus defenditur Elisæus: in Carnificina et nece Bethlemiticorum puerorum eripitur Christus puer cum Ioseph & Maria ab angelo, sicut antea angeli castra posuerant circa tugurium vbi natus est Christus, sicut patet ex illa multitudine canente apud pastores gloriam Deo, quia illa angelorum copia sine omni dubio vigilias duxere & castrametata est.

Actorum 5. Angelus Domini educit Apostolos ex carcere, et Actorum 12. cathenis vinctum eximit, & per custodiam & cohortes militum securè deduxit vsque ad liberam plateam: & veluti Angelus Paulo naufragium prædicit, ita sine dubio eum ex eodem iuxta promissionem factam, cum suis eripit. Sic eripitur cum suis rex in obsidione subsidio angeli Esaiæ 37. &c.

12. Seruiunt pijs & sanctis vt hodiernum Euangelium habet, angeli eorum semper vident faciem Patris mei, &c, id est, eis ad ministerium destinati: Item,

Acto-

*Actorum 12. cum famula audiret vocem Petri & reliquis diceret, putabant angelum eius esse, id est cum qui ad seruitium ei locatus est: ideo Hebræorum 1. cap. dicuntur administratorij Spiritus emissi ad seruiendum illis, qui electi sunt ad vitam æternam.*

*13. Pugnant pro Ecclesijs & politijs atq; familijs, contra diabolum vt hodierna Epistola ex Apocalypsi cap. 12. indicat, vbi pugnauit Michael cum suis & prælium gessit contra Draconem, & non valuit, sed eiectus est, etc. Et in Epistola Iudæ dicit Michaelem archangelum pugnasse contra Diabolum: Et Danielis 10. narrat Angelus se pro Rege persarum cum Diabolo prælиatum esse: Tobiæ 8. Angelus apprehendit diabolum & relegauit eum in desertum Aegypti, quia is missus erat à Domino vt curaret seniorem Tobiam & liberaret vxorem filij sui à Diabolo: Et non obscurè potest colligi ex Actorum 10. cap. quod protexerint domum Cornelij. vt & antea Iobis priusquam Dominus aliquid*

quid permitteret in eum & sua bona Diabolo: Sic Ecclesiam Israheliticam non solum ex Aegypto educit sed etiam conseruat, &c.

14. Delectantur pœnitentia & conuersione impiorum, Lucæ 15. Gaudium est angelis super vnum peccatorem resipiscentem: Sic precibus piorum delectantur, hinc ait Raphael Angelus ad Tobiam, obtuli orationem tuam Domino.

15. Vt lex promulgata est opera & ministerio angelorum. Actorum 7. Galath. 6. Hebr. 2. Ita quoque bonis operibus delectantur, quia ait Angelus Domini ad Cornelium. Actorum 10. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad Deum, &c.

16. Valde delectantur promotione Euangelicæ doctrinæ sicut Petrus ait, 1. Pet. 1. Vbi dicit angelos desiderare prospicere in res noui testamenti seu doctrinam Euangelij: sic eductos ex carcere Apostolos instruit quomodo in prædicatione Euangelij debeant pergere. Acto. 5.

17. Ve-

17. *Verum Dei cultum tradunt & eo delectantur quia Apocalyps. 19. et 22. prohibet Angelus ne se adoret Iohannes sed monet adorandum Deum esse. Item, ad Patrem Simsonis ait, Si vis holocaustum facere, offer Domino.*

18. *Coniugijs hominum piorum delectantur, quia Abraham ad seruum suum adducturum Isaaco coniugem ait: Gen. 24. Dominus mittet angelum suum coram te vt accipias inde vxorem filio meo. Iudic. 13. Angelus Domini bis denunciat conceptionem Simsonis. In Tobia legimus quomodo instruat & præparet ad coniugium iuniorem Tobiam, & quatenus Asmodeum abigat, vt Sara piè iungatur Tobiæ: item Zachariæ denunciat marito se ex effœta coniuge geniturum filium Ioannem, vt et effœtæ Saræ Abrahamoq; promittit Isaac filium Angelus Genes. 18. & expostulat cum ridente Sara, &c. Mariæ et Ioseph sepius nuncium adfert Angelus.*

19. *Sanctorum animas deferunt ad paradysum vel ad sinum Abrahæ, Lucæ 16.*

inde colligitur morientibus adesse angelos qui in Domino moriuntur, quia isti amodo sunt salui, ideo per angelos ad locum beatorum perducuntur, Apoc. 14.

20. In resurrectione hominum, colligunt Electos à quatuor ventis, atque erunt Messores in die iudicij, quia tunc angeli à iustis separabunt malos & ad dexteram oues, id est, electos ponent. Matth. 24. Matt. 13. Matth. 25.

Hactenus dictum est quid præstituri sint pijs: nunc quoq; videndum, quomodo pœnam impijs à Deo destinatam exequantur, & puniant sceleratos.

1. Immittunt ignem in malos cum sulphure, vt in Sodomitas. Genes. 19.

2. Subita morte sic percussit Angelus Domini primogenitos in Aegypto & exercitum Senacherib & assyriorum. 2. Regum 9.

3. Immittit pestilentiam. 2. Samuelis 24. Immisit Dominus pestilentiam in Israhel de mane vsq; ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo Dan vsq; ad Bersabeæ

sabæ septuaginta millia virorum. Cumq; extendisset manum Angelus super Ierusalem, vt disperderet illam, misertus est Dominus super afflictionem & ait angelo percutienti populum, sufficit nunc, contine manum tuam.

4. Percutit vermibus arrogantes, vt Herodem non dantem gloriam Deo. Actorum 12. Vt periret vermibus.

5. Cœcitate puniunt, vt Sodomitis accidit Genes. 19.

6. Venient angeli cum Christo, vt separent & segregent impios à pijs & eos præcipites dent in supplicium sempiternum.

Hæc diximus de officio angelorum, qui quidem in aduentu Domini vt eius ministri, mirificè sua gloria, obsequio, potentia & obedientia ornabunt Christi aduentum, vt legimus Matthæi 24 25. item, Matthæi 16. & alibi, 2. Thessalo. 1. & 1. Thess. 4.

Isti verò hos tres locos de angelis declaratos non credant vel suscipiant Saducæi,

ducæi, vt Actorum 23. legitur, & hodiè multi Epicuræi ac securi qui omnia credunt ita casu & fato quodam absq; diuina prouidentia contingere, deridеant, & non curent, nos interim alijs reponamus mentibus, & filio Dei pro hoc tanto dono, id est, angelorum custodia gratias agamus, & in omnibus negotijs & vocationibus ac laboribus dicamus pro fœlici omine, Licet ego frustra laborem Domine Iesu, tamen ego nunc in tuo nomine, fretus tuo auxilio, incipiam, da tu successum, & Angelus tuus adsit mihi. Id piè semper fiat, Amen.

## CONCIO SECVNDA HABITA IN ARCE OLdenburgica ipso die Michaelis, Anno, &c.

74.

DIXIMVS superiori anno, in hoc ipso die, quid sint angeli, & de Nominibus, natura, & officio ipsorum: quæ omnia illis paucis dictis comprehenduntur, Gloria in

*in altissimis Deo ac in terra pax, ac in hominibus bona voluntas: primò hic debitum honorem Deo tribuunt, secundò pacem in terris optãt ostendentes se alienos à bellis, dissidijs, rixis, odijs, & altercationibus, cum contrà istis omnibus vel imprimis delectetur Diabolus: tertiò exoptant & precantur hominibus bonam voluntatem, vt se subderent Deo, & ipsis Deus daret et velle & perficere, vt Deo ex animo subiecti possent inseruire omnibus diebus vitæ suæ, in sanctitate & iustitia coram ipso, quæ ei placeat.*

*Nunc verò in hac concione volumus tractare aliquid ex hodierno Euangelio et deinde explicabimus breuiter officium Angelorum, ostendentes semper in Ecclesia idem officium & ministerium angelorum fuisse & perstitisse, de quo retulimus superiori anno ex certis scripturæ fundamentis iuxta perspicuam methodum: Ex Euangelio illa duo tractabimus 1. quomodo pueris debeamus assimiliari 2. de quo scandalo hîc tractet Euangelium hodiernum.*

1. Primo quod ad similitudinem puerilem attinet, quam etiam senes debent referre, sciendum est, quod omnes simus pueri relati ad Deum, quoniam sicut infantes qui nihil possunt præstare, gratis aluntur, foucntur, sustentantur, vestiuntur & defenduntur ac custodiuntur à parentibus, imò induuntur & exuuntur, ita quidem se res habet quoque cum nostro posse. Nam in illo mouemur, sùmus & viuimus. Actorum 17. & rectè dicitur, Sine tuo numine nihil est in homine. Item 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? ideo manet verum, illud Psal. Oculi omnium sperant in te & tu aperis manum tuam & imples omne animal benedictione: Item quis dedit illi prius, &c.

2. Sicut ad obiurgationes & castigationes parentum quæ fiunt bono affectu & ex amore proficiscuntur, contremiscunt pueri, obedientiam & emendationem promittunt: Ita nos humiliari oportet sub potenti manu Dei, teste Petro, & contremere ad sermo-

*sermones Domini vt ait Esaias cap. vltimo: imò iuxta Paulum cum timore & tremore operari salutem.*

3. *Est æqualitas & paritas in infantibus, & ipsa simplicitas, vt etiam Heroum & Nobilium filij ac filiæ cum Rusticorum, & communiũ ciuium filijs ac filiabus, ludant, conuersentur, iocentur non minus quàm cum æqualibus: deinde tanta est simplicitas in eis, vt etsi inter eos qui familiares sint, dissidium interueniat, statim euanescat, et huius obliti ilico congrediantur: ideo nec singularis elatio, nec simultas vel odium asperum reperitur in pueris. Ideo grauiter monet Paulus 1. Corinth. 14. Nolite fieri pueri sensibus, sed malicia: item Petrus ait, 1. Pet. 2. Deponentes omnẽ dolum, maliciam, simulationes, inuidiam & detrectationes sicut modogeniti infantes: ideo monet Christus, vt simus prudentes vt serpentes, sed simplices vt columbæ.*

4. *Etsi detrectationes & calumnias in alios, detortas audiant recitari, tamen*

illa conuicia negligunt & obliuioni tradunt, aut si maxime vellent de his aliquid recitare, præ imbecillitate naturæ, ingenij & eloquij nondum possunt: Sic nos decet deponere omne mendacium & hoc vnum agere vt loquamur cum proximo verum. Sic Moyses ait Deutero 32. Calumniatores sunt & non pueri, & tales dicit Syrach 28. esse maledictos.

5. Pueri infantes iam etiam ætate progredientes sunt securi & de nullis rebus solliciti sunt contenti victu & amictu, & si quid horum eis deficit si sitiant, si esuriant, omnia deferunt ad parentes & ab illorum manu pendent, ad eos confugiunt, ab eis hoc petunt: ita deberemus et nos omnem nostram curam iactitare in Dominum cui est de nobis cura ipse nos enutriet. Psal. 55. & 1. Pet. 5 is vt pater & mater agunt cum liberis, aget nobiscum. Psal. 103. Etsi posset mater obliuiscì sui infantis, vt ait Esaias, tamen ille non obliuiscetur nostri, Si quoq; nos mali nihil damus nostris filiolis petentibus panem, lapidem, ouum non scorpionem,

nem, piscem non serpentem, multò minus negliget nos optimus pater, etc.

6. Pueri non cogitant de vllis colligendis thesauris & præsidijs, vt cogitent quid cras comedendum sit, sed præsentibus contenti sunt sic decet Christianos quoque esse Matth. 6. & quam periculosum sit ex auaricia colligere thesauros, docet Paulus ad Tim. 1. Tim. vltimo.

Hactenus recensuimus sex puerorum proprietates, in quibus nos illorum mores debemus referre: iam secundo volumus in Euangelio obseruare quod Dominus præmoneat nos de vitando scandalo: Et nouimus ex locis communibus duplex esse scandalum. Aliud scandalum acceptum vel pharisaicum est ein vnschetliche ergerniß cum velint offendi quolibet Christi facto & sermone Pharisæi rapientes omnia in calumniam: cum velint hodie subditi, auditores, ministri, Magistratus, Pastores & patrum familias actionibus, dictis, vita & sermone offendi, habeantq; semper quod

rodant & calumnioſe ſugillent: de eo hîc non dicitur.

Aliud ſcandalum eſt nociuum vel datum, ein ſchedelich vnnd böſe Ergernuß / quod ſit verbis, doctrina, vita & impuris moribus, de quo in hoc Euangelio refertur. Quomodo autem debemus oculos nos offendentes, & manum vel pedem nociuum aut aliud membrum eruere, reſecare & amputare? Non quidem carnaliter, ſed cum ſint oculi repleti concupiſcentia, qua ratione primum Eua & Dauid lapſi ſunt, & vt Salomon ait oculus hominis ſit inſatiabilis, debemus cogitare, in carne noſtra nihil boni habitare, interim nemo odio habet carnem ſuam, ſed eius curam habet, enutrit ac fouet ipſam Epheſ. 5. deinde cum præceptum referat non occidas, nemo debet ſibi vim inferre & tamen talis amputatio debet fieri. Ideo & per ſpiritum & per verbum & per preces debet illa reſecatio fieri, de Spiritu ait Paulus Rom. 8. Niſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis, non viuetis: de verbo, hoc eſt, gladio

dio spiritus refert Paulus Ephes. 6. quale est illud Prouerbior. 4 Laß dein augen strack für sich seyn/ vnd dein augen leyter rechte für dir her sehen.

Esaiæ 33. Claude oculos tuos ne videant malum. Oratione id fit, vt quando Dauid orat. Psal. 119. Auerte oculos meos ne videant vanitatem, item ab omni via mala auerte pedes meos: item, Lucerna oculis meis sit verbum tuum.

Et hæc sint breuiter dicta de præcipua parte hodierni Euangelij, nunc iendimus ad secundum locum vt ostendamus quomodo perpetua defensio & præsidium & protectio angelorum in Ecclesia maneat & adhuc circa nos sit & permansura sit quamdiu Ecclesia sit in his terris, duretq; semper.

## SEQVITVR SECVNDVS LOCVS.

LAudant Deum, Cyrillus contra Iulianum lib. 4. Benedicite Dominum omnes

omnes angeli eius, sicut scriptum est, quia nobiscum glorificant summum Deum, & hi docent honores, & adorationem non sibi sed potius soli summo Deo debere offerri, Et Hilarius ait lib. 2. de Trinitate Archangeli & dominatus, principatus & potestates sine somno, sine occupatione, sine crimine æternis & indefessis in cœlis vocibus Christum laudant. Epiphanius lib. 2. tomo secundo, Angeli primum munus culturæ Dei habent in assiduis hymnis. Ephrem ait Angelos Deo astare eumq; cum tremore glorificare. Alcimus in libro de diluuio.

Est ille in cœlo numero præstantior omni
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratq; Deum famulantia suetus
Ferre ministeria & iussis parere supremi.

2. Ministrant Domino, Hinc Chrysostomo. ait homilia 3. in Epistolam ad Ephesios, loquitur de administratione Eucharistiæ, contem-

contemplare obsecro, astat mensa Regia, adsunt mensæ huius ministri angeli, adest rex ipse, &c.

Ideo mandata Dei exequuntur & eum celebrant. Hinc legimus in Chronico ordinis Cistercienſis, de S. Bernhardo, quod cum hymnus, Te Deum laudamus, &c. cantaretur in Eccleſia, viderit ſanctos angelos multa alacritate fulgentes & in Eccleſia mira alacritate deuotos, & vtrumq; chorum percurrentes modo hunc modo illum excitando: & cantantibus videbantur aſtare quaſi congratulantes & ſimul exultantes, &c. Vnde intellexit hunc hymnum etiam angelis familiarem eſſe ſanctus pater.

Et quidam ſanctus Solitarius audiuit chorum angelorum cantantium in ſublimi, Gaudent nobiſcum in cœlis animæ ſanctorum, qui pro Chriſti amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto regnant in æternum: in libro de proprietatibus Apum.

Item, in libro exemplorum Cæſarij Mona-

*Monachi, legitur quod Comes VVilhelmus Iuliacensis etsi ad pœnitentiam suauissimis angelorum concionibus in Ecclesia auditis, vt ipse Eugberto tunc præposito & postea Archiepiscopo Colonienſi retulit, quibus Deum celebrarent, excitaretur, tamen in peccatis perstitit, &c.*

*Nunc videamus quæ officia erga homines exerceant.*

*1. Offerunt nostras preces Deo: Hinc Origenes homilia 9. super Leuit. Vident angeli & scrutantur cuiusq; nostrum mentem, si habeat aliquid quod Deo mereatur offerri. Hilarius in Matth. cap. 18. Saluatorum per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Bernhardus sermone de angelis, credimus angelos sanctos astare orationibus, offerre Deo vota, & preces hominum. Idem sermone in festo S. Michaelis. Nostros sudores non suos, nostras non suas offerunt lachrymas Deo, nobis quoque eius munera referunt & non sua, &c.*

*2. Excitant homines ad orationem & laudem*

laudem Deo recte tribuendam. Aeneas Syluius de historia Bohemica cap. 13. Ferunt Cyrillum, quum Romæ ageret, Romano Pontifici supplicasse, vt Sclauorum lingua eius gentis hominibus quando baptizaret & rem diuinam faceret vti posset: De qua re cum in sacro Senatu disputaretur essentq; non pauci contradicentes, auditam fuisse vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam, Omnis spiritus laudet Dominum & omnis lingua confiteatur ei, indeq; datum Cyrillo indultum.

3. Confirmant homines pios: sic voce audita de cœlis, in hæc verba, fortis esto Polycarpe, est sanctus Episcopus confirmatus, Eusebio teste lib. 4. cap. 14. & Nicephoro Callisto lib. 3. cap. 35.

4. Castigant errantes, Natalius, Theodoti coriarij hæresin suscipiens propter lucrum (quia ipse & sui Natalio singulis mensibus ei 150. denarios promittebant) fit istius sectæ episcopus, & sæpe à Domino admonitus per visionem, tamen perstitit donec ita ab angelis flagellaretur & castigaretur

tur per totam noctem, vt sic se conuertens rediret ad Ecclesiam Romanam, & ibi à Zepherino Episcopo, coram quo pœnitentiam egit, absolutionem peteret teste Eusebio libro 5. cap. vltimo vel 27. suæ historiæ. Scribit Gregorius in homilia 37. de Cassio Narniensi Episcopo pijssimo, quod quidam ex eius præsbyteris admonitus vt indicaret Episcopo, ipsius exitum vt coronaretur præ foribus esse sed cum hoc præ infirmitate & præ dolore non auderet, secundo, grauiter reprehensus & admonitus vt id quod acceperat in effectum produceret, sed non pergit cessans in eo exequendo negotio, ideo propter duriciem corporis tertia nocte grauia ei in corpus inflicta sunt vulnera, & sic tandem ex verbere pergit ad Episcopum, & exhibitis plagis, quas acceperat, dicens hæc verbera pro te perpessus sum, cum lachrymis exequitur mandatum.

5. Instruunt pios Bernhardus sermone 12. in Psal. Qui habitat, Spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ depu-

deputas, nostros iubes fieri pædagogos, &c. Antonius vidit semel totum mundum laqueis diaboli repletum & dixit, ò quis istos euadere poterit? & mox audiuit vocem his verbis, Fides in Christum eos penetrat, quam vera humilitas sequitur.

6. Sanant vulneratos & consolantur afflictos. Scribit Sozomenes lib. 5. cap. 19. Socrates libro 3. cap. 16. Theodoretus lib 3. cap. 10 Ruffinus lib. 1. cap. 36. & Nicephorus lib 10. cap. 28. Historiarum suarū, his verbis. Salustius præfectus Iuliani comprehendit ex turbis Christianorum canentium Deo, Theodorum adolescentem, quem infinitis tormentis ad recantationem coegit, & varijs lacerari corpus eius tormentis curauit, & ita est excarnificatus vt sæpè videretur quasi exhaustus, interim in tantis cruciatibus semper cecinit hoc psalmi, Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, &c. nec potuit tormentis, supplicijs & varijs excogitatis carnificinis eiq; adhibitis adigi vt taceret & ab eius dicti psalmodia quiesceret: Sic tandem liber dimittitur

& postea interrogatus à Ruffino presbytero & historico quomodo tantum perferre cruciatum potuerit, respondit admodum exiguum sibi ex tormentis fuisse cruciatum, astitisse enim sibi adolescentulum quendam elegantem abstergentem sudorem ex agone fluentem, & aquam frigidam vel refocillantē infudisse, animumq; corroborasse, vt tempus torturæ sibi iucundum fuerit magis & gratum quàm laboriosum, &c.

Eusebius scribit de Blandina pientissima fœmina & diacono nomine Sancto, lib. 5. cap. 1. quod per integrum diem omnibus excogitatis tormētis ita sint lacerati, vt species humani corporis non apparuerit in eis, illi interim nihil aliud responderunt quam se Christianos esse: & in illis excarnificandis & torquendis omnes tortores fessi sunt, sed vt est Blandina refecta, & leuationem sensit, sic quoque Sanctus ille diaconus vbi ad supplicia post paucos dies à carnificibus retraheretur membris adhuc ex priori cruciatu tumidis & turgen-

nibus

ribus & inflammatione quadam efferuescentibus, noua vt supplicia accumularent veteribus, habuit corpus citra illorum & omnium hominum opinionem exactè restitutum ab omnibus laceramentis purgatum & recreatum atq; in integrum restitutum, forma priori & vsu membrorum planè temperatum, ideo etiam vt secunda toriura & carnificina non illi pœna sed medicina fuerit: Et dicitur de Blandina postea quod non senserit cruciatus cùm à tauro, rum ab alys illatos.

7. Reficiunt, cibant & curant esurientes: Euagrius lib. 4 cap. 25. & Nicephorus Callist. lib. 17. cap. 25. suarum historiarum Ecclesiasticarum testantur, cum quidam Iudæus vitriarius mitteret filium seseChristianis adiungentem, in fornacem vitriacum accensum in qua cum puer incolumis permaneret ab eleganti muliere & speciosa est refectus, aqua frigida ei allata & cibo sub triduo porrecto quando esurysset.

Recitat Philippus Melant. vt Manlius

scribit, quomodo puer quispiam in vicinia Cygneæ vrbis, cum vellet adducere boues, sit subitò magna niue obrutus & impeditus & tandem postea parentibus pueri eum inquirentibus tertio die ipsum in aprico syluæ loco, vbi nulla erat nix, sedentem & parentibus aridentem, reperiunt, & quærunt cur non redierit domum, respondet se expectare donec adueniret vesper, nesciens biduum præterijsse: iterum interrogatus an etiam aliquid comedisset? respondit aduenisse quendam virum qui porrexerit ei panem & caseum, &c.

8. Castrametantur circa electos & pios ne eis quicquam noceat vt in prædicto puero videre licet. Et recitat Fabricius in Chronico Misnico historias de aliquot pueris, qui de fenestra cadentes altiori nihil tamen detrimenti acceperunt, vt folio 200. 207. 214. de quibus ipse canit.

Hoc vidit vrbs quæ Nobili Pronunciæ
nomen dedit
Vna in platea tres tribus vicibus cadentes, angelo

Custo-

*Custode vitam ducere.*

*Et quomodo puella triennalis per fatuam deducta in agrum, in media tempestate per noctem in agro seruata sit atq; altero die per dimidium, cum diceret sibi catulos canes adfuisse, recitat folio 226. Et quomodo adhuc duo pueri in grauissimo lapsu sint seruati recitat folio 227. & 229. &c.*

*9. Sunt Comites & itinerarij vel itineris monstratores. Socrates scribit in historia sua libro 7. cap. 23. cum Ardaburius per naufragium esset captus à Ioanne tyranno (erat enim is summus Cæsaris Imperator) ideo Aspar filius Ardaburij precibus Theodosij 2. Cæsaris & Ecclesiæ orationibus adiutus, est ab angelo Domini, qui ei habitu & forma pastoris apparuerat, per inuia loca & per stagnum deductus cum exercitu suo Rauennam usq; vt liberaret patrem, & res ei optimè succesit, &c. quia pater liberatus est & tyrannus extinctus.*

*Recitat historiam Philippus Melanthon in commentarijs super Danielem,*

quomodo sub nomine viri senis ad se Philippum vocantis sit inditio prænonitus Grynæus, vt fugeret ne propterea quod cum Ioanne Fabro certasset, vinculis traderetur, ab angelo, & ita cura angelorum effugerit.

10. Custodiunt nos in vocatione nostra, vt exemplis demonstratum est, & Ambrosius de Hagnete scribit quod ad Symphronium ei minantem & inuitantem eam ad colendam Vestam, responderit, si scires quis esset Deus noster, ista ex ore tuo non proferres, vnde ego secura contemno minas tuas, credens quod non sacrificem idolis neq; polluar sordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum Domini. Hinc inquit Bernhardus sermone 12 super Psal. 91. Qui habitas, Adsunt angeli vt protegant, adsunt vt prosint, &c.

11. In periculo positos eripiunt & defendunt. Diximus de Theodoro adoscente extormentis liberato & quomodo filiolus Iudæi vitriarij propterea quod se puer Christia-

Christianorum sacris immiscuisset, iniectus in furnum ignitum à patre, diminutus seruatus sit & tandem post triduum à matre inuentus, quod ne capillus quidem capitis sit illi læsus. M. Ioannes Spangenbergius cum filijs (vt scribit Manlius dixisse Philippum) fuit in balneis, & cum iam absoluisset balneum, & egressus esset. Statim corruit hypocaustum: sic ei accidit vt Ioanni egredienti balneum quando est Cerinthus oppressus corruente domicilio balnei & hæreticum opprimente. Idem Philippus recitat, teste Manlio, quomodo fratres Duces Saxoniæ Electoris Fredericus & Ioannes nauigauerint ex Torga VVitebergam per Albim, & cum nauim egressi essent, nauis effracta sit.

12. Seruiunt pijs, Augustinus Soliloquiorum cap. 17. Magna cura & vigilanti studio adsunt nobis angeli omnibus horis & locis succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris & solliciti discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atq; suspiria referentes ad te, vt impetrent

nobis facilem tuæ benignitatis propiciationem & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benignitatem. Ambulant nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus. Grandis est cura de nobis. Magnus est affectus eorum erga nos, &c. Legimus in ordine Cistercienst de sancto Bernhardo, quomodo viderit in precibus nocturnis, singulis fratribus psallentibus astare angelum more notariorum excipientes ipsorum voces, nec vel minimam literam omittentes, quosdam aureis, quosdam argenteis literis, quosdam atramento pinxisse, quosdam nihil excepisse pro cuiusquam affectu, &c.

13. Pugnant pro Ecclesia & pÿs contra Diabolum. Cassiodorus super Cantica, Angelicæ virtutes ab incursibus tentationum ac Dæmonum Ecclesiam custodiunt, &c. Cum Antonio Diaboli peccata sua inde à vita sua per ipsum commissa enarrarent

& ei

& ei opponerent vt ita ipsum turbarent, audiuit rursum angelos dicentes, non debetis illa narrare, quæ iam in Christi pietate & merito sunt deleta. Recitat D. Selneccerus in Institutionibus duas historias in Silesia factas. Quidam Nobilis cum inuitasset conuiuas & hora conuiuij iam instante & apparatu facto frustratus spe excusantibus se conuiuiis cur non comparerent, prorūpit iratus in hæc verba: Veniant igitur omnes Dæmones, si nullus hominum mecum esse potest. His dictis domum egreditur in templum, vbi pastor Ecclesiæ concionem habebat, & vt iracundiam concoquat audit aliquandiu docentem. Dum verò in templo moratur, veniunt equites nigri & magni in aream domus, & iubent seruo Domini Nobilis, vt Iunckerum suum aduocet eiq; significet adesse hospites. Seruus consternatus hæc indicat suo Nobili, qui nescius consilij pastorem consulit. Pastor abrumpens sermonem hoc consilij dat, vt tota familia discedat & exeat domo, quod cum fieret & famuli & ancillæ pro-

perarent, fortè obliti infantem & in cunis iacentem & dormientem secum non auferunt.

Dæmones incipiunt commessari & vociferari prospicereq; per fenestras formis vrsorum, luporum, felium, leonum, hominum, & monstrare pocula vino repleta, assaturas & pisces. Hæc vicini, pastor & ipse nobilis & alij viderunt: Ah inquit pater vbi infans meus? Vix hæc cum dixisset, vnus ex dæmonibus gestat infantem in vlnis ad fenestram quasi monstraturus parentibus. Nobilis prorsus consternatus & sollicitus de incolumitate infantis habet fidum seruum, ad quem inquit quid agam? mox seruus ait, Ego commendabo viam meam Domino, & ingrediar vt auferam Dei beneficio infantem, Bene inquit Nobilis, Christus sit tecum & iuuet te animumq; tibi confirmet. Seruus accepta benedictione à pastore & à reliquis & illorum precibus munitus ingreditur aperiens ianuam, vbi videt horribili specie sedentes, stantes, ambulantes & repentes diabolos

&

& vno impetu accurrentes ad se & dicentes vociferantesq; hui hui tu quid hic tibi? Ille Iudans & tamen diuinitus confirmatus alloquitur dæmonem qui gestabat infantem, Tu, inquit, mihi infantem trade, Nequaquam respondit iste, meus est iam infans, dic Domino tuo vt veniat & accipiat infantem, cui seruus, Ego fungor officio meæ vocationis, in quam me Deus collocauit, & scio quicquid in hoc officio facio Deo gratum esse. Quare ratione officij & auxilio & nomine virtutesq; D. N. I. Christi aufero abs te infantem atque patri restituo. Atq; ita ipse apprehendit infantem & brachijs suis amplexus est: Isti vero nihil aliud responderunt, nisi vociferantes hui nebulo, hui nebulo relinque infantem, relinque alioqui te discerpemus. Ille nihil curans minas diaboli abijt, incolumis & incolumem infantem patri restituit. Dæmones tandem elapsis aliquot diebus euanuerunt ex arce vt in ædes tota familia nobilis illius potuerit regredi.

Altera

Altera historia est de alio nobili, qui pro more, diabolos solebat vocare, & aliquando equitans noctu neminem nisi puerum secum habuerat: tandem diabolorum magna caterua in eum irrupit quasi ipsum abductura. Puer Dominum seruatum cupiens brachijs complectitur: Diaboli clamitant puer aufer manus, Sed hac ratione nobilis seruatus est: Vnde potest colligi quod puer secum angelos habuerit.

Idem recitat tertiam historiam quomodo quidam Nobilis Hassiæ de Pamelbergk, missus sit à principe ad conscribendos milites & cum noctu ei per syluam densam equitandum esset, diaboli à tergo eius venantes auditi fuerunt & subinde proprius accesserunt, tandem duo ante eum pheretrum gestarunt & iter impedierunt. Ipse in tanto periculo & terrore animi Deum inuocat alta voce, quod vt faceret, videt ipse gladios igneos, quibus duo viri abigunt spectra & dæmones. Ille autem non diu superuixit.

14. Pro-

14. Prospiciunt in futurum sua prouidentia Ecclesiæ, ne ei aliquid mali accidat. Iosephus Iudiacarum Antiquitatum libro 11. cap. 8. vel vltimo sic scribit, Alexander iratus Iudææ deneganti auxilium contra Tyrum & Persas, venit tandem in Iudæam vt eam dissiparet, vbi Iaddus summus sacerdos in suo ornatu processit cum tota sacerdotum corona obuiam Monarchæ. Mox viso sacerdote summo in suo habitu, descendit Alexander de equo & præbuit honorem sacerdoti, & eum reuerenter salutauit, excepitq; clementer & pacem obtulit. Huius rei nouitate cum percellerentur duces eius, dixit Alexander se in Macedonia talem in somno speciem vidisse, per quam vocatus erat & electus in Asiam & iussus vt in Persiam bellum moueret & dixerat illud spectrum promisisse semper auxilium & defensionem.

Philippus Melanthon scribit in Chronicis suis, quomodo Tyrannus Attila, cum rectà superatis Aquileia, Mediolano & Ticino, Romam tenderet, ei obuiam missus sit à

sit à Romanis Leo, Papa cum aliquot Senatoribus legatis, quorum supplicibus precibus præter omnium opinionem flectitur, & regreditur in Pannoniam cum exercitu. Interrogatus causam dixit se vidisse senem astantem Leoni Episcopo, specie supra humanam terribili, minitantem ei mortem nisi supplicibus parceret: ideo reuerenter dimittit sacerdotem, &c. Hoc vberius explicat Paulus Diaconus dicens, se (Attilam) virum sacerdotali habitu iuxta Leonem astantem vidisse forma augusta & canicie venerabilem, illumq; euaginato gladio sibi horribiliter mortem minitantem, nisi cuncta, quæ ille expetebat, concederet. Libro 5. de rebus Romanis, &c. Sic Ecclesiam & Politiam per angelos defendit Deus.

15. Politias, Magistratum, aulas & Heroicas personas mirabiliter tuetur, & exercitum eorum custodit & ad victoriam ducit.

Nicephorus Callist libro 13. cap. 6. & Sozomenes libro 8. cap. 4. Ecclesiast historiæ scri-

riæ scribunt quomodo Caianus vel Gainas, oppugnaturus clam noctu milite barbaro Constantinopolitanam arcem, vt caperet Imperatorem Arcadium, & inuaderet Palatium sit tetris & horrendis militibus, abiectus, id est, cœlestis quædam vis ingentibus corporibus, insidiatoribus illis apparens ita eos exercuit vt terga verterent.

Anastasius Imperator vt Zonaras & Cedrenus in suis historijs scribunt, cum Iustinum & Iustinianum inter alios comprehendisset & eos occidere voluisset, vidit in somno virum terribilem dicentem ei, Tu Iustino & Iustiniano nihil mali facias. Vterq; enim Deo seruiet suo tempore.

Socrates scribit libro 7. cap. 18. quomodo angeli quibusdam apparuerint dicentes renunciate Constantinopolitanis, vt bono sint animo & precibus se dent, & summam in Deum spem ponant, Romanos, id est, Ardaburium & eius exercitum

tum fore victores, &c. Id quoq; factum est.

16. Pœnitentia piorum delectantur. Sic legitur in vitis parum, quomodo Paulus discipulus Antonij viderit aliquando in templum ingredientem peccatorem, quem à longo secutus est Angelus Domini, lugubri & tristi habitu & aspectu: interim ipsi diaboli ab vtraque parte illi adhærentes & capistro in naribus eius emisso trahentes ipsum nigrum & obscurum ei proximi erant: Ibi Paulus lachrymans & manu pectus tundens sedit ante Ecclesiam plorans, postea post eius longum mœrorem videt eundem egredientem ex Ecclesia vultu sereno, corpore candidum, & dæmones ipsum à longo sequentes tetro vultu, & miserabili aspectu, interim pulchrum angelum circa ipsum ambulantem lætum, & gestientem: Ibi mox Paulus exiliens gaudio, clarè laudauit Dominum dicens, O ineffabilis Dei misericordia & bonitas, O diuinæ miserationis ipsius innumerabilis numerus, & bonitas? Venite & videte

opera

opera Domini quam stupore digna & mirabilia sint, venite & videte eum qui vult omnes homines saluare & cupit eos ad agnitionem veritatis peruenire Venite adoremus coram Domino, procedamus ante eum & dicamus quod volens & potens sit peccata dimittere. Tandem interrogatus ille vir, vt diceret causam tam subitæ mutationis circa ipsum: Ibi homo ille conuictus per Abbatem Paulum refert quomodo homo peccator fuerit viuens longo tempore in fornicatione, sed ingressus in Ecclesiam audierit vocem Esaiæ, lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum de animabus vestris coram oculis meis. Et si fuerint peccata vestra vt coccinū, tamen vt nix dealbabuntur, &c. Ego homo peccator & fornicator istis dictis conpunctus sum nimis & ingemiscens intra conscientiam meam dixi ad Dominum. Tu Deus qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere, & qui hæc promisisti per prophetam comple nunc ista opere & effectu in me peccatore indigno, da

mihi gratiam vt agam pœnitentiam ego decreui renunciare peccato, &c. Vt seruiam tibi Deo viuenti: Ergo me ex gratia suscipe, &c. Hoc proposito exiuit ille miser ex templo.

17. Sanctorum animas deferunt ad paradysum. Cyprianus scribit in concione de mortalitate, quod Angelus astans seni morituro & nimium mortem expauescenti, ipsum reprehenderit, sed interea consolatus sit: & in Ecclesiastica historia Sozomenis libro 1. cap. 14. & Nicephori Callisti lib. 8. cap. 41. legitur quod Antonius viderit Ammonis Eremitæ & solitarij iam iam mortui, animam in cœlos deductam ab angelis, &c. Et rex Daniæ Christianus tertius in morbo, vidit ad se virum quendam ingredientem qui eum iussit bono animo esse, ipsum breui ingressurũ esse cum nouo anno nouam vitam. Cum Medicus Regis D. Cornelius diceret conijce somnium fuisse, respondit Rex, nequaquam, nam certissimum est quod mihi astiterit, & euentus verum esse ostendit quia in ingressu nouæ

*noui anni feliciter hinc migrauit vt D. Bordingius indicat.*

*Vt igitur ex historijs Ecclesiæ recitauimus quæ seruitia & officia bonis exerceant, sic quoq; videamus quomodo malos puniant. Nam cum Benedictus Abbas oraret Aloricum Gothorum Regem vt Romæ parceret, respondit se inuitũ illam rem aggredi: Continuè enim quendam sibi imminentem molestum esse & Romam vastare iubere: Nam effluebant delitijs, libidine & alijs peccatis, &c. sicut Nicephorus Callistus scribit lib. 13. cap. 35.*

*Et multa talia quæ diuinitus sub Theodosio 2. acciderunt, referre possemus, & vt omnes historiæ referunt, de seniore Theodosio Imperatore, quomodo deserius à suis, tamen adiutus inusitato vento repressérit Eugenium tyrannum & suos, &c. Quæ sunt certa indicia quomodo pios defendant & impios reprimant. Sic legimus in vitis Patrum de Isidoro Abbate, quod dixerit ad Eremitam Moysem con-*

querentem de varijs diaboli tentationibus, Respice ad occidentem & mox vidit magnum aceruum Dæmonum, ad prælium paratos, & iterum dixit, Respice ad Orientem, Et vidit innumerabilem multitudinem angelorum, Et mox ait Abbas Isidorus, Ecce quos in occidente vidisti ipsi sunt qui impugnant sanctos Dei: Verum quos ad Orientem conspexisti ipsi sunt quos in adiutorium sanctis misit, ideo cognosce iuxta dictum Eliſæi plures nobiscum esse, quam illorum sint, qui contra nos pugnant, ideo maior est teste Ioanne qui in nobis est, quam qui est in mundo.

Hactenus ostendimus ex historijs Ecclesiæ quomodo iuxta suum verbum, vt in veteri & nouo testamento, sicut sacræ literæ indicant semper defenderit Ecclesiam & suos, & quod ad finem mundi perstet illud officium angelorum, vsque ad finem mundi, Et nisi angeli

Domi-

*Domini nos custodirent iam dudum vel Turca vel Moscoita vel Papalis aliquis Tyrannus, aut hæreticorum multi animo & corpore deuorassent nos. Ideo agamus Deo pro tantis beneficijs gratias per Christum Dominum nostrum*

*Amen.*

*FINIS.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737553902/phys_0089



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0094



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0095




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0096



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0097

tum fore vi … d quoq; factum
est.

16. Pæn … m delectantur.
Sic legitur … , quomodo Pau-
lus discipu … iderit aliquando
in templu … em peccatorem,
quem a lo … t Angelus Domi-
ni, lugubri … tu & aspectu: in-
terim ipsi … que parte illi ad-
hærentes … aribus eius emisso
trahentes … & obscurum ei
proximi er … lus lachrymans &
manu pect … dit ante Ecclesiam
plorans, po … longum mœrorem
videt eun … ntem ex Ecclesia
vultu sere … didum, & dæmo-
nes ipsum … entes tetro vultu,
& misera … nierim pulchrum
angelum … bulantem lætum,
& gestien … x Paulus exiliens
gaudio, c … Dominum dicens,
O ineffabi … cordia & bonitas,
O diuinæ … psius innumerabi-
lis numer … Venite & videte
opera

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737553902/phys_0098